DE ECCLESIA
SEPTEMPEDANA
LIBRI III.

AUCTORE

Joanne Carolo Canonico Gentili

E SANCTOSEVERINO

MACERATÆ 1835.
EX OFFICINA ALEXANDRI MANCINI
SUPERIORUM PERMISSU

Hic sacra, hic genus, hic majorum multa vestigia.

(*Cic. de Leg. lib.* 2.)

TYPOGRAPHUS
Cultoribus Antiquitatis.

Ex omnibus iis honoribus, qui maximi a civibus haberi possunt majoribus suis, nullus est tam insignis, neque tam stabilis, quam quicquid illi praeclare in vita gesserint, posteritati consecrare, ne eorum interitu nominis quoque fama oblivione obruatur. Hoc cum Canonicus Joannes Carolus Gentili humaniorum literarum, et historiae ecclesiasticae professor recte perspiceret, ulli non parcens labori, ut Ecclesiae Septempedanae res ab hominum silentio vindicaret, omne suum studium, omnem mentem et cogitationem suam in illius annalibus conscribendis defixit. Cum id opus foras exierit, iis qui legent utile fore confido; Septempedanis vero adeo

jucundum ac gratum, ut hoc gratius et jucundius proferri his temporibus potuerit nihil. Nemo enim tam est aversus a gloria, qui non aliquid de suis, quod nulla confici aut consumi aetate possit, mandari monumentis desideret. Exploratum quoque, unam historiam esse, quae omnium studia alliciat, aures teneat, animos mulceat, a qua si quis abhorrere se dicat, parum absit, quin ipse se ne hominem quidem esse fateatur. Ille apud Platonem Ægyptius sacerdos Soloni dixisse fertur, semper pueros esse, qui vetustatis cognitione careant: illius quidem omnium humanarum rerum moderatricis prudentiae unde major vis quam ex historia, licet municipali, colligi potest? Erit igitur humanitatis vestrae hanc totius operis synopsim libenter accipere, et historiam ipsam, quam ad vos perferendam susceperim, patrocinio vestro amplissimo et maximo fovere. Quod ut sit, Auctoris cura omnino postulat, et ipse omnibus precibus a vobis contendo. Valete.

Maceratae 1. *Kal. Septembris* 1835.

PRAEFATIO.

Barbaras ipsas nationes, quae tum caeteris rebus, tum potentia, rerumque gestarum gloria in primis floruerunt, literarum monumentis proditum est diu inter se de generis vetustate contendisse, eaque sane animorum vi, ut de imperii finibus non acrius inter se, neque vehementius armis certaturae fuisse viderentur. Profecto magnum nobilitatis argumentum, antiquitas! Sed quod civitatibus fere universis, Italis praesertim, contigisse video, id etiam de antiqua eorum urbe non injuria dolent Septempedani, historiam nempe civilem aeque ac ecclesiasticam implicatissimis difficultatibus diu fuisse obnoxiam.

Primus, qui hasce tenebras civili in re pertractaret, ac tentaret quidem ex professo dispellere, fuit comes *Leonardus Franchi*, vir cum

oratoriis in studiis sane frequens, tum in philosophicis etiam frequentior, acri ipse praestantique ingenio, quique in rerum gestarum varietate indaganda, et cum temporum tum locorum caeterarumque ejus muneris partium rationibus colligendis, totus equidem versabatur. Iis deinde temporibus, quibus aliquando exactior et scrupolosior antiquitatum disquisitio emergere nondum caeperat, provinciam hanc arduam suscepit eques *Valerius Cancellotti*, ad omnia, quibus se dederat addiscenda sane peracris, humanus praeterea et comes planeque amabilis, et amplissimis magistratibus laboriosis atque gravibus continuo distentus. Mox *Joannes Baptista* ejus filius plures errores in Sancti Severini Episcopi rebus evulgandis emendare curavit, loco suo multa restituens, aliqua addens, alia demens, ac temporibus gesta, gestis tempora aptans. Verum non omnia videre et ipse potuit, neque regulas omnes callere, quibus posteriores critici vera ab apocryphis distinguere docuerunt. Melioris notae auctoribus ubique conquisitis et consultis, id postea suscepit opus *Hieronymus Talpa*, qui ea diligentia usus fuit in monumentis excutiendis dirigendis atque explicandis, qua accuratum et industrium chronographum ea aetate

uti oportebat. Tandem *Bernardus Gentili de Rovellone* rem penitioris artis criticae usu pertractans, ut ille Horatianus agricola qui inutiles ramos falce amputans feliciores inserit, nonnulla insuper expurgavit, quamplura supplevit: et si non omnia ad veritatem adamussim composuit, minime tamen est accusanda ejus diligentia atque in re critica, quam callebat, peritia, sed tum argumenti difficultas, spinis undique vepribusque septa, tum deficientia documentorum. Ast utinam esset, qui scripta rursus excuteret tum *Valerii Cancellotti*, tum *Hieronymi Talpa*! Quam praetiosae ibi antiquitatis reliquiae, quibus nefas est aetatem nostram istarum rerum studiosissimam defraudari! Quam ampla in *Leonardi Franchi* codicibus suppellex ad patriam historiam locupletandam, nisi temporis fato nunquam satis deplorando fere omnino cessissent!

Ii cum scriberent universam Septempedanorum rem, data solummodo opportunitate de eorum Ecclesia mentionem intermiscuere. Hinc hujus perantiquae Ecclesiae gesta nemo ex veteribus confecit, ea fortassis ratione quia nulla priscorum scriptorum chronica, historiae, commentaria ad haec tempora pervenerunt, et Episcoporum dyptica, si quae fuerunt, atque vetustiores catalogi perierunt omnes.

Primus tamen est Ughellius, qui Ecclesiae Septempedanae, ejusque antistitum memoriae consuluit: sed mutile quidem et stricte admodum, quod in tantis latioris historiae operibus cuique accidere solitum est. Nicolaus Coletius verum diligentissimis supplementis Ughellianam seriem, historiamque emendavit, atque aliis notionibus sibimet comparatis adauxit. Ad hanc vero illustrandam historiae partem perpauca exhibet testimonia. In hunc igitur agonem mihi, quantum otii a scholis et a domesticis publicisque rebus superesset, prodire, et salebrosum opus, novum scilicet et emendatius commentarium efformare atque edere proposui, quod ad extremos hosce dies, quibus scribo, pertingeret. Ast ad rem quum venerim, quumque ea perpenderim, quae antea in miscellaneis libris adnotaveram confuse; non satis judicare potui per omnes voluminis pagellas discurrens, quod tuto probarem, quod recte attingerem, vel a quibus potissimum abstinerem. Conveni ea de causa viros humanissimos *Germanum Margarucci*, et *Josephum Ranaldi*, qui nostratium rerum habentur merito peritissimi. Cum autem multa essemus una de patria locuti, cui est nemo qui non plurimum se debere intelligat; et cum ii consilium probas-

sent, sed tamen hanc rem detrectarent, feci ego audacius; et quod eos non dubitabam melius et accuratius facturos, si ad scribendum se conferre voluissent, ecclesiasticam Septempedanorum historiam, si non perficiendam, at saltem tantisper ordinandam suscepi. Quid labore meo consecutus sim, judicabunt alii: quid amicis optimis *Margarucci* ac *Ranaldi* debeam, dicam ego aperte, et omnibus persuasum volo, me tantum eis, quantum hominem homini debere fas est. Ii enim plura antiqua monumenta ad Ecclesiam hanc pertinentia, non vulgaria quidem, libentissime communicarunt, quae suis quaeque locis, ubi a me proferenda erunt non committam, ut ego eos insalutatos et illaudatos praeteream. Cum insuper esset repertus diligentissimus vir comes *Severinus Servanzi Collio*, qui alias mihi suppetias ferret, ac stimulos cuntanti adjiceret, rumpenda fuit mora omnis, nec diutius in vado haerendum. En igitur chronotaxim ecclesiae Septempedanae aliquanto meliorem, quam quae hactenus apud Ughellium prodierat, perfectam autem et numeris omnibus absolutam, cave expectes, lector benigne. Non enim Ecclesia ista, ut desuper innui, chronographos habet, qui priscorum temporum memoriam literis com-

mendarint, sed quidquid id est undeunde corredandum fuit, et quasi emendicandum; quare illud affirmare pro certo audeo, veritatem me perquirentem labores immensos exhausisse cum perpetua eademqne summa in patriam benevolentia conjunctos: id qui minus putant, utinam ipsi experirentur!

Ast de subsidiis, quibus usus sum in hoc opere conficiendo, nunc pauca dicam. Primum operis subjectum et quasi fundum praebuit *Bernardinus Crivelli*, qui, ut erat in antiquis patriae monumentis eruderendis indefessus, diplomata vetustasque membranas, quae singulare aliquid boni continere visa sunt, in volumen diligentissime amandavit: atque utinam nunc esset in vivis, nec, antequam de his edendis cogitarem, quamplura ejus scripta instituto meo accommodatissima casu quidem infenso essent erepta! Ad hanc rem, ut libros editos omittam, in quibus tamen quamplura inaedificare opportuit et alia exornare nimis exiliter extructa, semel et iterum revolvi hujus Ecclesiae tabularia monasticis in rebus praesertim locupletissima: et multa item mihi vel magni facienda suppeditarunt catalogi mss. Curiae Episcopalis: neque in iis, quae diversorum volumina inscribuntur, in-

vestigandis negligens fui. Familiaris enim fuit monasteriis atque Episcopiis saluberrimus hic usus inserendi in unum codicem quidquid ex antiquis chartis supererat, ut si haec tot casibus obnoxiae de medio tollerentur, chartularia illa subsidiariam operam praestarent. Verum pleraque ex istis chartulariis jam irreparabili jactura perierunt, nonnulla vero excisis jamdudum ac deperditis membranis illaesa perdurant, et locum archivii expilati aut igne absumpti nunc tenent. Caeterum illud extra dubium est, me iis rationibus, auctoribus, et monumentis usum fuisse in tela hac retexenda, quae non solum mihi, sed viris in isto argumentorum genere admodum peritis, quos in subsidium operis adhibui, visa sunt ad intentum aptiora. Attamen, nisi evidens urgebit argumentorum vis, a patris scriptoribus desuper relatis minime recedendum esse puto, tum quia auctoribus de rebus patriis disserentibus non est fides deneganda, nisi certo constet de eorum inscitia, de mala fide, de contradictionibus, de erroribus, quos narrando praetulerint, tum quia haec signanter *Talpae* nostro tam facile appingere nefas est multis nominibus.

Quoniam vero plurima sunt scitu dignissi-

ma, quae non tam antistitum, quam Ecclesiae esse propria videntur; idcirco convenientius judicavi nonnullarum rerum genera partiri, eaque a suis initiis usque ad exitum perducere. Quare quae Ughellius strictim attigit, eadem ipse fusius ac tribus omnino libris comprehensa enarrabo. In ista autem chronotaxi illustranda nonnulla de civili quoque Septempedanorum historia degustare opus fuerit; et vereor, ne quis extra orbitam excurrisse me judicet. Sed non deerunt etiam, uti opinor, alii, qui probent consilium meum; praesertim cum de historia ista edenda cogitaverint multi, sed scriptam tantum reliquerint. Quisque demum facile sibi persuadere poterit, nihil aliud in hoc opere scribendo mihi propositum fuisse, quam studium veritatis, cujus assequendae causa existimavi nefas non esse a quacumque auctoritate discedere, ubi auctores, catalogos comperissem cum veritate ipsa minime consentire. Meos interim cives oro obtestorque, amantissime excipiant, gratumque habeant hoc ingenioli mei qualecumque sit opus: nam adduci ad suspicandum nullo modo possum, ex iis ullum unquam fore, apud quem sine causa laboraverim.